



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

epistola ad Bonifacium scripta euidentius constat. Cum itaque hoc tempore Alexander episcopus prædictas condiciones adimpletset, idque per literas Innocentio pontifici significasset, Innocentius hanc ob rem plurimum gauisus, has literas gratulatorias eidem rescripsit. Baron. ann. 408. num. 35. & præcedentibus quibusdam.

• EPISTOLA XVIII.
INNOCENTII PAPÆ I.
AD ALEXANDRVM EPISCOPVM.

- | | |
|--|---|
| I. <i>Quod prima sedes beati Petri apud Antiochiam esse memoretur.</i> | III. <i>Quod Arianorum clerici non sunt recipiendi in suis officiis, quamuis eorum baptismum, qui catholicus constat, confirmet ecclesia.</i> |
| II. <i>Quod non oportet secundum constituta imperatorum, duos esse metropolitanos episcopos.</i> | |

Innocentius Alexandro episcopo.

I.

ET onus & honor nobis a tua fraternitate impositus, necessarii tractatus causas induxit, quo literis vel commonitorio vestro, vt dat sancti Spiritus gratia, respondere possimus. Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum, quæ censuit de Antiochena ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam ecclesiam, non super aliquam prouinciam, recognoscimus constitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi apostoli sedes esse monstretur, vbi & nomen accepit religio Christiana, & quæ conuentum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gaudet? Itaque arbitramur, frater carissime, vt sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & ceteros, non sine permisso conscientiaque tua, sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte seruabis, vt longe positos, literis datis, ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire.

E iij